

S. MEINULPHI. 421

anno 896 creatur Imperator, moriturque 3. Kal. Decemb. anno 899, ut tradit Regino. Biso Ep. Paderbornensi Ecclesiæ præfuit ab an. 877, usque ad an. 900, vel 908. Gobelinus lapidem sepulchri ruptum tradit annis 50 post obitum S. Meinulphi 15. Kal. Februarij.

Cap. V. Mainardum Presbyterum. ] Hunc Gobelinus parochialis ecclesiæ Attelensis, intra primum lapidem Bodicâ distitæ, Rectorem facit.

Cap. VII. Miraculo curatæ à morbo cancrimulieris, subdit Gobelinus repertum inter ossa S. Meinulphi, cum ea transferrentur, tintinabulum æneum, solitum suo pte tinnitu indicium facere, quoties Bodecensium Vestalium aliqua brevi esset abitura è vita. Scribit quoque Gobelinus tum in Actis S. Meinulphi, tum alibi, *WValburgem de WVolde* postremam Collegij Bodecensis Antistitam ejusdem Campaniæris ultro nec crebroque sonitu, adedè vehementi imminentis mortis metu percussam, uti autore *WWilhelmo de Monte electo* Præsule Paderbornensi, anno 1408 *Kalendis Septembris*, Bodecensis Collegij præfeturâ, privatam vitam deinceps actura, sponte se abdicaret, ac *Ioanni Bael Priori* Canonicorum Regularium coloniam è *Suvollensi Bethlemo* deducenti, locum illum cederet, maximo religionis incremento: nam è Bodecensi cœnobio egregiè instaurato deductæ fuerunt deinceps colonix Canonicorum in isthæc cœnobia: *Molenbeke* diœcesis Mindensis, *Sirgenhagen* Mogunt. diœces. *Gürstengarten* & *Hegenen* Wormat. diœc. *In Insulâ Treviren.* diœc. *Ewid* Colon. diœc. *Dalem Paderb.* diœc. *Trutenhausen* Argent. diœc.

EE 3

Ever.

